

stiegen wir hinab, besuchten die reiche Quelle Ain el-Haniych, auch Philipp's Quelle genannt, nicht zu verwechseln mit Ain ed-Dilweh an dem Wege nach Hebron, ritten das steinige, enge Wady entlang, erreichten gegen 4 Uhr nachmittags Jerusalem und dankten Gott für die angenehme und glückliche Reise. —

(Fortsetzung folgt im nächsten Jahrgange.)

Commentarium in psalmum »Quare fremuerunt gentes«

Auctore Fr. Salesio Tiefenthal, O. S. B.

Addimus ad commentarium psalmi „Dixit Dominus“, quod impressum invenis in hoc libello periodico (fasc. III. pg. 440—451 h. ai.), commentarium psalmi „Quare fremuerunt gentes“, qui ob argumentum post psalmum „Dixit Dominus“ facile primum locum inter psalmos obtinet, memores dicti s. Anselmi „Meditare psalmodiam“. ¹⁾

Exhibebimus I locos discrepantes, uti in psalmo „Dixit Dominus“.

II Quaestiones generales.

III Explicationem continuam psalmi.

I.

Hoc in psalmo tredecim sunt loci discrepantes:

1. Vulgata vertit עֲבָתוּבָמוֹ v. 3. iugum ipsorum secundum exemplum LXX, quod tamen funes eorum significat, prout ipsa Vulgata hoc verbum interpretatur Judic. 15, 13. 14. 16, 11 et alibi.

2. In hebraico textu nihil invenitur pro et Vulgatae v. 4. inter eos et Dominus.

3. Vulgata habet initium versus 6: Ego autem constitutus sum rex ab eo — pro hebraico: וְאֲנִי נִסְבָּתִי מִלְכִי, quod vertendum est: Attamen ego constitui regem meum, nam נִסְבָּתִי habet sensum activum, sicut נִסָּב Isai. 44, 10. Constitutus sum esset נִסְבָּתִי ut Prov. 8, 23.

In fine eiusdem versus secundum hebraicum Vulgata habet: montem sanctum eius, הַר-קֹדֶשׁי autem vertendum est: montem sanctum meum. Insuper post haec verba novus versus incipiatur, quum verba quae sequuntur sint Filii Dei, praecedentia autem Patris aeterni.

¹⁾ Migne S. I. 158, 679.

5. אִם־כִּפַּר אֶל־הַקֹּדֶשׁ non vertatur cum Vulgata: praedicans praeceptum eius, sed cum P. Emmanuele: ¹⁾ Enarrabo decretum, vel cum Sante Pagnino: Narrabo ipsum decretum quod Jehova dixit ad me etc. ²⁾ Ista constructio כִּפַּר אֶל utpote longior, decretum annuntiandum solemnissimum esse innuit.

5. הַרְעִים in versu nono non significat: reges, sed: conteres vel confringes eos, pro reges eos dicitur הַרְעִים.

7. In eodem versu occurrit ante tanquam et, pro quo nihil adest in hebraeo.

8. וְשָׂקוּ־בֵר in versu duodecimo non significat: apprehendite disciplinam, ut habet Vulgata secundum ὁράξασθε παιδείας LXX, sed: osculamini Filium, ut habent Santes Pagninus, P. Emmanuel, Tremellius ³⁾ et alii. Sic ex. g. habet Mezler:

„Moribus utimini castis, date cernua regi
Oscula, qui meretur Filius esse Dei.“ ⁴⁾

9. In eodem versu habet Vulgata post ne — quando, pro quo nihil reperitur in hebraeo.

10. Item habet Vulgata in eodem versu post irascatur — Dominus, pro quo nihil legitur in hebraeo.

11. Item habet Vulgata in fine eiusdem versus iusta, quod vacat in hebraeo.

12. Non probari potest coniunctio cum pro בִּי in initio versus tertii decimi secundum divisionem Vulgatae, est potius nam.

13. כִּמְעַט in eodem versu non tempus significat et propterea non recte in Vulgata: in brevi versum est, sed facilitatem qua Pater coelestis exardescere posset, si homines praecipue principes, non osculantur Filium, sicut Gen. 26, 10. II. Sam. 19, 37. I. Paralip, 16, 19 et alibi, et propterea verti deberet: Revera facile. — Initium ergo huius versus verti posset: nam exardescere posset revera facile eius.

Insuper praeterita in tribus primis versibus talia sunt respectu duorum futurorum in v. 4^o, pro nobis autem sunt praesentia, sicut et duo futura in v. 4^o.

¹⁾ Videtis Les Psalms etc. A Mesnil-Saint-Loup.

²⁾ Consulatur Liber Psalmorum hebraice cum versione latina Santis Pagnini. Basileae 1726.

³⁾ Testamentum Vetus ab Im. Tremellio et Fr. Junio ex hebraeo latine redditum. Amstelodami 1651.

⁴⁾ Paraphrasis poetica Psalmorum auctore Thoma Mezlero, O. S. B., monacho Zwifaltensi. Friburgi Brisgoviae 1651.

II.

Hic psalmus compositus est a Davide, ut expresse dicitur Act. 4, 25., et est mere messianico — propheticus neque ullo modo ad Davidis historiam refertur. Propterea versio syriaca illum inscribit: „De vocatione gentium. Innuit prophetiam de passione Christi.“ Et versio araba: „Davidis. Prophetia de Christo Domino et vocatione gentium.“ Et scripsit s. Hieronymus: „Audacis est hunc psalmum interpretari velle post Petrum; imo de eo aliud sentire quam in actibus Apostolorum dixerit Petrus.“¹⁾ Et Bellarminus: „Omnino errare videntur, qui ad litteram de Davide hunc psalmum explicare nituntur.“²⁾ Imo haec sententia erat antiquorum Judaeorum et sanctorum Patrum, quibus assentit s. Alphonsus Maria de Liguori.³⁾

At quamvis s. Petrus Act. 4, 25 primum versum huius psalmi de persecutoribus Christi tempore passionis eius interpretetur, nihilominus etiam de persecutione Ecclesiae usque ad finem saeculi valet, hac illud non excludente, cum Christus, teste Paulo Ephes. 5, 23., caput sit Ecclesiae, et Ecclesia, teste eodem Coloss. 1, 24., corpus Christi. Quapropter et Christus, alloquens de coelo Saulum, persequentem Ecclesiam, dixit: „Saule, Saule, quid me persequeris.“ Act. 9, 4. Propterea bene Eusebius Pamphili, psalmum hunc de persecutione Ecclesiae interpretans, scripsit: „Semper persecutio est, semper invisibile bellum habetur, semper coronae, semper abnegatio,“⁴⁾ Et D. Latomus sic argumentum secundi psalmi inscribit:

„Foedera praedicit recititae immitia gentis,
Quae licet in Christi pacta fuere caput,
Non minus ille tamen toto dominabitur orbe,
Ed geret haud ullā scepra caduca die.“⁵⁾
Quam sententiam etiam tenet Hengstenberg.⁶⁾

Quum autem hic psalmus victoriam canat Matris Ecclesiae de malis propriis filiis, ut patet e versu 3^o, supplementum est Apocalypsis, celebrantis victoriam Ecclesiae de gentilitate.

Quibus perpensis argumentum psalmi sic enunciari potest: Seditionem gentium earumque regum fractum

¹⁾ Breviarium in Psalter., quod a multis s. Hieron. abiudicatur, a. D. G. Morin ei vindicatur in Aneidotis Maredsolanis.

²⁾ Roberti Bellarmini in omnes psalmos dilucida explanatio. Venetiis 1614. Dedicatum est opus Papae Paulo V.

³⁾ Oeuvres complètes (Paris 1835) t. 13. p. 25. S. Alphons. opus suum super Psalmos dedicavit Papae Clementi XIV.

⁴⁾ Maxima Bibliotheca IV, 45.

⁵⁾ Davidis psalmi omnes in carmen conversi per D. Jacobum Latomum, canonicum Lovaniensem. Antverpiae 1587.

⁶⁾ Commentar über die Psalmen (Berlin 1849) ad h. l.

iri regno invicto atque universali a Deo Patre Filio tradito. Magna consolatio nostris praesertim temporibus pro Christianis. Sufficit hic psalmus ad confutandos incredulos et confundendos politicos.

Finis psalmi est movere omnes homines, praecipue principes christianos, ut Messiae et eius Ecclesiae adhaereant, si prosperi esse velint. Quapropter huius psalmi meditatio praecipue principibus eorumque ministris commendanda est.

Quatuor constat hic psalmus strophis, quarum prima, tertia et quarta septenos, secunda sex versus comprehendit. In prima v. 1—3 David describit seditionem populorum et regum contra Jehovam eiusque Messiam, in secunda v. 4—6 despectum quem habet Pater coelestis pro illis seditiosis eiusque terribilem ad illos vocem in die iudicii, in tertia v. 7—9 Filium Dei annuntiantem decretum Patris aeterni de seipso, in quarta v. 10—12 (Vulg. 13) admonet reges ut Filium osculentur. Psalmus ergo hic dramatice, ut dicunt, compositus est. Primae strophae scena est terra, secundae et tertiae coelum, quartae sacer prophetae thalamus.

III.

Stropha prima. David visione de Messia et Ecclesia raptus abrupto initio lectorem medias in conspirationes contra Deum eiusque sanctam Ecclesiam sistit, exclamans:

Quid tumultuantur insano cum strepitu gentes
Et nationes aestuant inania?
Consurgunt in arma reges terrae,
Principes in foedera coeunt
Contra Jehovam et quem ipse unxit regem.
Vincula eorum rumpamus,
Abiiciamus a nobis eorum funes.¹⁾

V. 1. לָמָּה cum sequente praeterito quaerit causam tam iniuste facti, et cum sequente futuro finem tam frustra faciendi רִיק inania est accusativus ut 4, 3. הִנֵּה hic de dolo adhibitum est ut 37, 13. Proprie significat emissionem sonitus semiinterni et semiexterni factam sive gutture (115, 7), sive palato (Prov. 8, 7), sive lingua (35, 28), sive ab homine, sive a columba, sive a leone. Bene hic exclamare possumus cum s. Columbano:

Optimus est animus Christi vestitus amore,²⁾
et dicere cum s. Augustino: In malis murmurat omnis terra,
in bonis iubilat omnis terra.³⁾

¹⁾ Apud Rosenmüller, scholia in V. Test.

²⁾ Migne 80. 287.

³⁾ Ad. ps. 100 (99).

V. 2. Futurum יְהוֹצִיבוּ gradum componere sicut I. Sam. 17, 16., pro nobis est praesens, perfectum נוֹסְדוּ designat quod futurum illud praecedit. נוֹסֵד Niph'al a סוֹד sedere cum יָחַד proprie sedere simul, et in sensu translato consulere, consilium capere, ut 31, 14 et נוֹעִץ 71, 10. מַלְכֵי-אֲרָץ et רוֹנְנִים (forsitan frenantes) poëtica styli causa articulo carent. Populi regibus et principibus seducti contra Jehovam et Christum eius¹⁾ quem oleo sancto unxit sibi que arctissime coniunxit, conspirant.²⁾ Propositum eorum

Versu 3^o propheta audit. Dicunt: Proiciamus a nobis leges Jehovae ac Messiae. Patheticum suffixum emo vice ehem ad Jehovam et Messiam eius se refert. Duo cohortativa נְנַתְקָה et נִשְׁלִיכָה mutuam cohortationem exprimunt. Odio occulto minisque apertis sonus et rhythmus cohortationis respondent. Optime s. Alphons. ad hunc versum contra plures antiquos Patres adnotavit: „Haec verba David inimicis Dei et Christi applicat.“ Sed patet ex eorum verbis, eos esse in ditione Christi. Cfr. Luc. 19, 14. At nihilominus haec verba etiam tribui possunt Pilato et Herodi, ut fit in Actibus Apostolorum, qui agebant nomine Judaeorum. Seditiosi ergo primo volunt rumpere vincula, murmurantes de oppressione, tum a se proicere funes, laetantes de liberatione.

Ad illustrandam hanc stropham et denique totius psalmi argumentum praecipue facit pugna Henrici IV. contra Gregorium VII. et Napoleonis contra Pium VII. Quantum autem contribuere possit ad publicam salutem concordia inter Sacerdotium et Imperium, monstrat historia Caroli M. et Leonis III., Clodovaei et s. Remigii, s. Leopoldi et Innocentii II. etc.

In secunda strophā videt propheta Jehovam elevatum super hanc scenam bellici furoris et superbae atrocitatis, verbaque minantia audit quae Jehova ad furentes hostes loquitur.

Qui in coelis habitat, ridet eos,
Subsannat eos Dominus.
Tum vero iratus eos compellabit,
Indignabundus perturbabit:

¹⁾ De Messia bene adnotavit Julius Firmius Maternus († c. 348) ad h. l.: »Regnum perpetuum et coeli diadema Domino Nostro cum unguenti maiestate collatum est.« Max. Bibl. IV, 173—174.

²⁾ Bene s. Alphons. verba: Adversus Dominum et adversus Christum eius sic commentatur: »Inimici persequentes Jesum Christum, etiam contra Deum bellum gerunt, nam Messias miraculis quae operatus est, se Filium Dei esse probavit.«

Ipsē ego unxi regem meum
In Sionem, montem mihi sacrum.

V. 4. Quantumvis hostes Jehovae furant, nihilominus ad eum non pertingunt nam est **יֹשֵׁב בְּשָׁמַיִם** habitans in coelis qui tantum distant a terra, et est **יְהוָה** id est summo imperio praeditus super universas creaturas earumque actus quos ad finem a se praefinitum dirigit, quin aliquis hoc impedire possit. Quatuor futura in hoc et sequente versu exprimunt, quanta securitate Deus atroces hostes suos in hac infima terra positos respiciat **לְמוֹ** etiam ad **יִשְׁחָק** (a **שָׂחַק** = **צָחַק** magis in usu in libris Thora iunioribus) pertinet, ut patet e 59, 9 et 37, 13. Jehova iridet hostes suos, quia infinite distat ab eorum moliminibus, despicit eos quoque, nam tantum crescere permittit insaniam eorum, usquedum eā ipsā capiantur. Propterea bene s. Hieron. ad h. l. adnotavit: „Non quod ille quemquam derideat, sed quod nos derisu digna faciamus.“ Apud Calmet.

Terminum longanimitatis divinae psalmista

Versu 5^o voce **אֵץ** sicut Deut. 29, 19 (cfr. **שָׂחַק** (4, 2, 36, 13)

exprimit, quae draecisior est quam aliquando et abruptior quam deinde, significans momentum quo ira Dei contra hostes suos exardescet. Tunc, scil. mpore iudicii tum particularis tum universalis — τὸ, τότε εἰς τὸν καιρὸν τῆς κρίσεως ἀναφέρεται¹⁾ — tunc eos consternet, conteret, fugabit. Prima pars versus est sicut tonitru rotans, **בְּחִירוֹ** sicut fulgur percutiens.

V. 6. Sicut prima stropa seditiosorum sermone finivit, sic haec Jehovae ipsius verbis clauditur. Sensus est: Vos insurgitis contra me et Messiam, ego autem ipse constitui eum regem super Sion id est super Ecclesiam. „Est spiritalis Sion Ecclesia, in qua a Deo Patre rex constitutus est Christus: quae est in toto orbe terrarum: in quo est una Ecclesia catholica.“ S. Optat. Max. Bibl. IV, 352. Etiam Bossuet haec verba attribuit Deo Patri,²⁾ cfr. ps. 110, 2. Isai. 2, 3. Mich. 4, 1 etc.

In stropa tertia annuntiat Filius decretum Patris aeterni de seipso.

Jehovae dictum promulgabo:

Tu, inquit, Filius mihi es,
Ego hodie Te genui.

¹⁾ St. Athanas. op. Paris. 1698 t. 1. p. 2. p. 1242.

²⁾ Oeuvres complètes. éd. Lachat t. 1. p. 67.

Roga, et gentes Tibi dabo possessionem,
Terraes fines peculium.

Ferreo baculo eos conteres,
Ut vasa figulina contundes.

V. 7. De constructione **סִפֵּד** cum **אל** iam in locis discrepantibus locuti sumus. Securus et absque timore Messias hostibus suis decretum **חִק** (**חִקֵּק** insculpere) Altissimi manifestat quod iam immutari non potest. Decretum in eo consistit, quod Messias est Filius Dei, genitus et natus a Patre. Verbum **יֵלֵד** (hic **יֵלֵד** mutato Patach in Zere, sicut in **יֵרֵשׁ**) et generationem a Patre et partum e matre exprimere potest, sicut **γενῶν**: hic de actibus divinis congruentibus digne intelligendum est. Hic textus iam a s. Paulo Hebr. 1, 5 et 5, 5 ad probandam generationem aeternam Filii e Patre citatur, Act. autem 13, 33 idem Apostolus hunc textum resurrectione Christi adimpletum esse asserit, quod et innuit ad Rom. 1, 4. Ex quo concludimus, neque illos Patres plenam veritatem assecutos esse qui ipsum tantum de generatione aeterna interpretantur, neque illos qui eum tantum de glorificatione Jesu intelligunt, sed in eo inveniri comparisonem abbreviatam, sicut non rare in s. scriptura, hoc sensu: Sicut ego te genui ab aeternitate ex mea essentia, sic te resuscitans ex mortuis etiam quoad naturam tuam hamanamte genui¹⁾ in Filium meum, illam immortalem faciens et glorificans cfr. Philipp 2, 6—11 Joh. 7, 5., quam tu assumptam cum persona tua divina univeras, non autem miscueras, manens quod erat ab aeterno. Hoc versu ergo damnantur et Ariani et Nestoriani et Eutyechiani et Monothelitae et Adoptiani. Hodie igitur ad diem resurrectionis referendum est, prout dicit s. Hilarius scribens: „Id quod in psalmo est: Filius meus es tu, ego hodie genui te, non ad Virginis partum, neque ad lavaeri generationem, sed ad primogenitum ex mortuis pertinere Apostolica auctoritas est.“ Propterea quia Christus est Filius Dei, ei competit regnum mundi vel dominatio universalis, si illam cupit, ut dicitur

Versu octavo. Τοῦ **אֵל** succedit futurum paragogicum, ut usus est in apodosi imperativi. Pater destinavit Filio suo regnum mundi eique illud dare semper paratus est quandocumque Filius illud desiderare significat. Propterea s. Alphons. sic Patrem

¹⁾ Christus ipse Matth. 19, 28 resurrectionem generationem vocat. Cfr. insuper dictum: primogenitus ex mortuis Coloss. 1. 18 et primogenitus mortuorum Apoc. 1, 5 de Christo resuscitato, et: ὁρισθέντος υἱοῦ θεοῦ . . . ἐξ ἀναστάσεως νεκρῶν Rom. 1. 4. Cfr. insuper I. Petr. 1, 3, 2, 3.

coelestem ad Filium loquentem introducit: „Quum tu naturā sis Filius meus, aequum est, ut imperium exerceas super omnes populos et super omnem terram.“ Filium autem illud imperium velle, patet ex ostensione decreti Patris. Quod decretum etiam continet verba illa formidabilia pro hostibus Christi, qui eius imperio se submittere nolunt, quae sequuntur

Versu nono. תְּרַעַם sicut iam diximus, non significat: reges vel pascēs, sed conteres vel confringes eos, quod melius convenit orationi minaci et virgae ferreae, qua Christus hostes suos, qui sunt velut lutea vasa (cfr. Jer. 19, 11), in frustra contundet. Virga ferrea autem Messias hostes suos et punet et subiectos tenebit. Haec verba de imperio sanctorum occurrunt Apoc. 2, 27 et de imperio Christi ibid. 12. 5 et 19, 15., quibus in locis tamen s. Johannes ποιμαίνειν pro תְּרַעַם posuit, sic innuendo, Christum et Sanctos desiderare, ut peccatores convertantur et vivant.

Bene s. Fr. Salesius utitur vv. 7—9 ad probandum Ecclesiam catholicam esse visibilem et universalem.¹⁾ S. autem Optatus ex illis probaverat universalitatem et unitatem Ecclesiae, dicens: „Tota est donata terra cum gentibus totius orbis, Christo una possessio est.“²⁾

Stropha quarta. Ex praecedentibus Propheta infert:

Ergo sapite, reges,
Disciplinam, principes, admittite!
Colite Jehovam reverenter,
Trepidī eum vereamini!
Agite, tanto Nato venerationis osculum figite,
Ne si irascetur, res vestra pessundetur.
Etenim ira eius leve exardescet.
Felices sunt omnes qui ad eum confugiunt!

V. 10. וְעֹתָהּ וְכַל וְנָו (I. Joh. 2, 28) itaque, forma illationis, sicut Prov. 5, 7 et Jer. 28, 22. Admonitionem non ad turbam seditiosorum, sed ob res magnas et graves quas vidit et audivit, poëta ad omnes principes terrae dirigit. שְׁפָטֵי אֶרֶץ ergo sunt iudices ubique terrarum constituti. Iidem autem sunt reges et iudices terrae. Quam ob causam bene dicit s. Alphons.: „Vos igitur reges, qui estis iudices terrae, intelligite quid sit vestrum officium, et illud bene adimplere satagite.“ Hiphil הַשְׁבִּיל significat intellectum acquirere vel ostendere; Niphāl נוֹסֵר, ut Niphāl

¹⁾ Oeuvres, édit. Vivès V. 375 etc.

²⁾ Max. Bibl. IV, 346.

tolerativum: se castigari vel corrigi permittere, sicut נִוְעֵץ Prov. 13, 10 permittere ut sibi consilium detur, נִדְרַשׁ se quaeri permittere. Conferatur quoad rem Sap. c. 6. Hanc generalem admonitionem specialis sequitur

Versu 11^o quae respicit Jehovam, *versu 12^o* autem alia quae respicit Filium. Admonentur ergo reges, ut serviant Domino in timore et exultent ei cum tremore, id est gaudeant de felicitate quod tanto Domino et Deo servire possunt, at ne laetitia in carnalem licentiam degeneret, gaudium illud cum reverentia erga Deum misceant. Cfr. Hebr. 12, 28. „Sancti viri sic de spe certi sunt, ut tamen semper sint de tentatione suspecti.“ S. Greg. M. in Job l. 20.

V. 12. Admonitio respiciens Filium, breviter magna edicens, clarissimis composita est verbis, et tamen a nullo inter veteres interpretes praeterquam a Syro et Chaldaeo recte versa est. Nam ac si claritate eius obfuscati a veritate declinassent pro בָּר legebant בָּר et παιδεία (LXX) vel disciplina (Vulg.) vertebant, vel accipiebant בָּר pro adverbio et pure vertebant (Aq. Symm.

Hieron.). Melior autem quam versio est adnotatio s. Hier. in hunc locum. „Pro eo, inquit, quod in graeco dicitur δράξασθε παιδείας in hebraeo legitur Nescu Bar, quod interpretari potest: adorete Filium. Apertissima itaque de Christo prophetia, et ordo praecepti: adorete Filium, ne forte irascatur Dominus hoc est, Pater.“¹⁾ Piel נִשָּׂק tantum osculari significat, habet autem hic sensum

adorationis. Mirandum autem non est, quod filius Dei κατ, ἐξ. designatur hic voce בָּר (Prov. 31, 2 occurrit בָּרַי), alias rara et

tantum in stylo sublimi usurpata, cum antea tam praeclara de eo dicta sint. Defectus autem articuli hoc in loco ad amplificandum servit, sicut saepe in hebraeo et arabo, ita ut sensus sit: Osculamini Filium, et qualem Filium. Subiectum autem ad יֵאָדָר est Pater, ut adnotavit s. Hier. et prout sequitur e stropha secunda.

Quae sequuntur וְתֵאָדָרְךָ וְתֵאָדָרְךָ vertenda sunt: ne pereatis quoad viam, id est, ne viam ingrediamini quae ducit ad interitum.

Quae adhuc sequuntur in hebraeo cum hoc versu coniuncta sunt, in Vulgata autem

Versum 13 formant. Qui ergo reges Filium osculari detrectant, timeant, facillime enim contra eos ira Patris coelestis exardescere posset. Beati econtra sunt ii qui refugium suum

¹⁾ Breviar. ut supra.

in Dei Filio collocant, eum asyllum suum, domum suam, faciunt. Hic est sensu verbi **הַקָּדוֹשׁ** cum **בְּ**. Hic recolatus dictum

s. Johan. 3, 16: „Sic Deus dilexit mundum“ etc. et dictum s. P. Benedicti: „Christo omnino nihil praeponant.“ S. Reg. c. 72.

Jam diximus, psalmum hunc allegari in Actibus Apostolorum et in epistola ad Hebraeos. Sed insuper etiam nomina δ Χριστός, et δ υἱός τοῦ θεοῦ Joh. 1, 50 in ore Nathanaëlis et Matth. 26, 63 in ore Summi Sacerdotis a hoc psalmo et a Dan. 9, 25 derivanda sunt.

Scribebam Romae in collegio s. Anselmi in monte Aventino die 23. Nov. 1898.

Jacobus (von Oppenheim) in Mainz und Hirschau.

Von Pfarrer F. Falk, Kl. W.

Das Benedictinerkloster St. Jacob auf dem Berge bei Mainz war ums Jahr 1450 der unter dem Namen „Bursfelder Union“ bekannten Reform beigetreten und selbst zu einem Seminarium reformationis für omnia fere circumiacentia S. Benedicti monasteria geworden.¹⁾

In der Reihe tüchtiger Ordensmänner jener Zeit finden wir einen Jacob von Oppenheim, welcher eine Zeit lang das Amt eines Kellers versah.

Der Prior Johann Butzbach von Laach²⁾ nennt ihn „einen Mann, der ein in göttlichen und menschlichen Wissenschaften wohl geübtes bewährtes Talent verrieth, hervorragend durch Rednergabe.“

Diese seine Befähigung hat es sicher veranlasst, dass ihn seine Oberen zum Zwecke der Klosterreform nach Hirschau sandten.³⁾ Hier, mehrer Jahre Novizenmeister, suchte er durch Wort und Beispiel die Novizen in den Geist des wahren Ordenslebens einzuführen.

Am 3. Sonntage nach Ostern 1493 — 28. April 1493 — fand zu Hirschau das 28. Provinzkapitel des Benedictinerordens statt, in welchem Abt Trithemius und andere den Vorsitz führten. Während der Tagung starb Jacob von Oppenheim; Trithemius konnte deshalb in seiner Hirschauer Chronik zum Jahre 1493 die Angabe machen: vir in divinis scripturis admodum eruditus,

¹⁾ Mainzer Monatschr. (Mainz, 1786) VII, 213. 841: Urkk. über die Bursf. Reform. Im Carlsruher Archiv eine Perg.-Handschr. Lagerbuch von Sponh. mit Bursf. Urkk.

²⁾ Auszüge aus dem Auctarium Butzbachii in Arch. f. Hess. Gesch. XIV, 749.

³⁾ missus Hirsaugiam. Joannis II, 825 s. v. Jacobus.